

**Anthologia in regis exanthemata, seu, Gratulatio musarum  
cantabrigiensium de felicissimè conservata regis Caroli valetudine.**

**Contributors**

Crashaw, Richard, 1613?-1649.  
More, Henry, 1586-1661.  
University of Cambridge.

**Publication/Creation**

[Cambridge] : Ex Academia cantabrigiensis typographeo, 1632.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/n76pwzcx>


**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



ANTHOLOGIA IN REGIS EX ANTHEMATA — 1632







9/26.

7387/B

XXm.  
N.Y.

MXI/84

bx/m  
81

1st appearance of Crashaw

p. 33 ans Henny More

p. 20

84

SIC 4475


Case #2


02898/67


CAMBRIDGE

f 200

c184







47

ANTHOLOGIA  
IN  
**R E G I S**  
**E X A N T H E -**  
**M A T A :**

SEU  
**Gratulatio Musarum**  
**CANTABRIGIENSIVM**  
de felicissimè conservata Regis  
**CAROLI**  
valetudinc.



¶ Ex Academiæ Cantabrigiensis typographieo,  
Anno Dom. M D C X X X I I .

АІДОЛОНГИА

И

Э Р Э Я

ЕНТИАХЕ

В ТАМ

ПЕЗ

САНТАРИГИБНІСІМ


САНТАРИГІБНІСІМ

de Bellisimo concerto R. G. R.

С А Р О І

Wellcome  
Library





## Ad Regem.

**S**ed dabis hanc veniam, speramus, Magne Monarcha,  
Nostræ triumphos ut canant Musæ suos.

Sub Jove pace tuâ fruimur, Martisq; furores  
Nescimus, orbem subruentes undique.

Ille tuus morbus tamen Hostis noster: Et indè  
**Hæc thura fumant DE FUGATIS PUSTULIS.**

B. L. *Procæn.*

A

Fo



**Formula publica gratiarum  
de reciperata Regis optimi valetudine,  
qualis nuper prodiit Ecclesias,  
expressa versu.**

**N**on canimius terris; TIBI, rerum invicta potestas,  
Solventur primæ libamina debita grates,  
Cui vel tam miti ferulâ destringere visum  
Támve brevi; res quanto aliàs conjuncta periclo !  
Res ut dura etiam ! Sed sic tibi parcere gnarum  
Cùm furis, & sanctum, non ob sua crimina cædis,  
Nostra sed, & populi, juvenem. Quis millia fando  
Explicit enumerans, quæ nos commissa pudore  
Suffundunt, iræque tuæ pœnisque merentes  
Addicunt? Quin vota, P A T E R , quæ sola supersunt,  
Nè nimium refuge, ac placidos pius induc vultus,  
In servosque animum mentemque capesse benignam,  
Nos servos, sempérque tuos. Age, floreat ævo,  
Floreat, infraetæque suo stent robore vires  
Sceptrigero juveni, ac longè deformis abesto  
Morbus &, & senium; currant jucunda, nec unquam  
Non expectato mutentur prospera talo.

Præcipue pietas, pietas super aethera notum  
Tollat, ut attollit, venturóque ingerat orbi.

Sic degat, sic T E solo minor Anglica longùm  
Sceptra potens, tum siqua super, felicibus addat

Auspi-

*In Exanthemata Regia.*

3

Auspiciis premere, ac gentes frænare remotas,  
Rex idem regnóque Pater, Cleróque gregique  
Christicolum magno demissus ab æthere murus,  
Sydereum columen; charisque æquisque vicissim  
Cum consorte tori dulces socialiter annos  
Exigat, ac lætâ florentia secula pace  
Aspiciat, serâ solvendus membra senectâ,  
Et natos natorum, & qui nascentur ab illis.

*S. Collins Regalis Collegii Præpos.  
& Sacrae Theolog. Profess. Regius.*

**G**allo quod soliti litare Phædri  
( Ut sancti fuerat Platonis, & mos  
Magnorum vetus Æsculapiorum )  
Dulci Socrate reddito saluti;  
Tu, si quid Carolo paras recepto  
Dignum Numinibus sacrare mysta,  
Confundas Januarium vel ipsum,  
Qui nunc plurimus imminere nimbo;  
Vastes & speciem cugurrientum,  
Nudis cortibus hinc & hinc relicts,  
Nè sit qui temerarium vel unus  
Confutet liquido canore Petrum.  
Vel mactes Aquilis licebit, atque  
Adhuc nobiliore fortè pennâ,  
Ipsis alitibus poli ministris.  
Tanti CAROLON est valere nobis.

*Idem.*

A 2

*Ad*

**¶ Ad Academicos.**

**Q**Uærebam nuper quæ me Fortuna gravaret,  
Plurimaque in lasso signa dolentis erant.  
Quærebam vetus unde iisdem vigor artibus esset,  
Namque eadem subito membra valentis erant.  
Compertum est celeri depulsum turbine morbum  
Regis, in Ægeos isse perisse lacus.  
Si caput affectum est, artus dolor occupat omnes;  
Si valet, incolumi membra valere scias.  
Quâ nobis curâ caput hoc tutarier æquum,  
Fortunæ nostræ quæ quasi libra (*viri*) est?

*Idem.*



---

**Ad Serenissimum Britanniarum Regem**  
**CAROLUM**

*de recuperata sanitate gratulatorium.*

**A**Ltera jam sceptri properant tibi lustra Britanni  
Læta sub auspiciis, CAROLE summe, tuis.  
Terminus hic, veterum dabat olim encomia Regum,  
Próque secuturis thura precésque bonis.  
Quâm tamen ah propè, cum properâ pia gaudia acerrâ  
Exutere inviso vidimus ore diem,  
Cùm tibi languentes premerent contagia venas,  
Et peteret sacrum tristior hora caput!  
Hæc procul: at veterem repetunt jam tempora morem,  
Lætanturque tuâ Vectis & Orchas ope.

*Tho. Comber Coll. S. & Indiv. Trin. Pr.**Ad*



## Ad Regem.

**N**on defuere thura, non juges precum  
Litigationes fervidarum: Supplici

Voto fatigabamus astra, cùm Tuę  
Creperæ salutis fama, Rex, nos perculit.

Mox, Eucharistiarum hecatomben addimus  
Nullis secundi, cùm valere denuo  
Te fama rettulit; Precésque de novo  
Iteramus, Usquè vivat, usquè Carolus  
Ut valeat, æternūmque.

Musis (hactenus

Piis, fidelibúsque) relligio fuit,  
In publicum peccare, vel res imperi  
Nostris morari gaudiorum formulis:

Sed facta postquam fertur ista gratia.

*Sororibus* Musis, serenam in *Carmina*  
Frontem Tuam expertis, pudor, metus, mora:  
Jubentur exulare. Jam stylos, typos  
Ciemus; alterāque vel dieculā  
Ad Regis Optimi pedes provolvimur,  
Vota hæc secundò nuncupantes, ut salus  
Dein perennet usquè, & *ex voto suo.*

E Sancti Petri, Wren.

A 3

In

Ἄνθεμα τοῦ Καταρράκτη τοῦ Αἰγαίου ποταμοῦ.

## In exanthemata Regis

*ἀντοχὴ διάσπαστα.*

**A**T tu, ( poeta ) Qui sit , ignoras, cui  
Sic gratularis sanitatem à pustulis.  
Oblitus Ille sortis haud unquam suæ,  
Tellure vitam vivit in brutâ Dei ;  
Perennicultor Numinis ; bilis, gulæ,  
Cupiditatum herus; dies in singulos  
Virtutis arduæ rigidus Custos. Et huic  
Immissa credis in cutem exanthemata,  
( Immissa, Jupiter, manu molli ! ) suæ  
Mortalitatis ut monerent? Falleris.  
Monitoris Ipse non egebat; cautio  
Tibi hæc , mihique contigit: Plebs Anglicæ  
Multum diuque Regis oblita & sui,  
( Suique Regisque optimi ) Ni jam cavet,  
Mortalitatis admonetur Regiæ.

*Idem.*

*Sanitati*

*In Exanthemata Regia.*

7

*Sanitati Reduoī necdum Exuli.*

**Q**Uæ Lucæ Medico poterant ænigma videri,  
Hæc Lucas Sancta solvit in historia.  
Integer æger erat; sine morbo morbus; Et antè  
Reddita, quæ fugit, quām fugit, alma salus.  
Sic tibi, Paule, manum lethalis vipera pressit;  
Nec cadis, aut quicquam passus es indè mali.  
Indè Deo quām charus eras, gens Barbara discit,  
Et sanctum venerans suspicit indè Caput.  
Indè Tuos, Rex, indè Tui nisi discat amores  
Gens tua Divinos, Barbariem superat.

*Idem.*

*In cutis Regiae efflorescentiam,*  
*non raro raro.*

**V**Ariis notatum derepente pustulis  
Règale corpus, & nostram hanc notam feret;  
( Rumpantur invidiæ licebit ilia ! )  
Oportet, incorrupta semper indoles  
Fæcisque pura ut hæc sit, ipsa fæx cui  
Est floris instar in cute, exanthematum  
Morbóque in ipso durat usquè sanitas.

*Idem.*

*In*

In auspiciatissimam CAROLI Augustissimi  
è varis convalescentiam.

**S**ic est; Sic statuis Mens provida: Stat Tibi tantus  
In Regibus Tuis amor.  
Sic est; Sic statuis Mens provida: Stat tibi cura  
In immerenti subdito.  
Sat sibi, sat Cœlo vixisset Carolus: ægræ  
Non Patriæ satis datum.  
En, Caput hoc melius Diadema rogārat, & ævum  
Desiderārat alterum.  
At sua cum Angelicis cassavit vota benignus  
In impiam plebem Deus;  
Atque iterum in segetes, aurūmq;, epulásq; potentem  
Indulsit orbi Principem.  
Quare agite, atq; hilarem unanimes exporgite frontem  
Bene ominata civitas. ( quantum  
Quanquam ( oh! ) quos gémitus quondam præsentio!  
Hæc vapulabunt gaudia!  
Cùm Sacro Capiti huic Libitina parabitur olim,  
Quid tunc Britannus feceris?  
Cùm cœli Indigenam repetent, astrisq; beabunt,  
O multa fleturam Albion!

*Guil. Beale Custos Coll. Jes.*

**N**Il in Principiis, Causis, Radicibus *unum*,  
Nil *individuum*, aut *particulare* fuit.  
Semine nil *simplex*. Ea *singula singula* tangunt,  
Et *totum* quicquid, quicquid & *omne* sonat.

**Sic**

*in Exanthemata Regia.*

9

Sic mundum, atq; orbem signabant Christus & Adam:

Sicque suo Princeps integræ regna finu.

Momenta in sese Generalia prendere, celsum est.

Hoc commune fuit Regibus atque Dco.

Morbus in his superis, naturaque faucia utrumq;

Dicit, mortales esse, sed esse Deos.

Numinibus terræ si quando his vulnera fiunt,

Mors quota in his unis edita! quanta lues!

Hisce salus data si, Genti datur. Anglia gaude:

Nondum te elisam Jupiter esse velit.

*Idem.*

**E** Vetulo factum juvenem, ac mirâ arte recoctum

Medeæ, senium deposuisse suum

Iasonis Genitorem aiunt. Cantabria mater,

Ecce sub hâc fictâ fabula vera latet.

Quæ modò namq; dolore gravis, quæ marcida, cana,

Præque metu referens corpore & ore senem,

Dum Carolum ægrum audis, cùm convaluisse, liquefscens

Lætitia, ut Sagæ carmen & herba potens,

Te rursum recoquit; curisque effœta virescunt

Membra, iterumq; tibi læta juventa redit.

Esto Soror senior, juvenis tu: esto illa Vetusta;

Cùm valeat Carolus, tute Novella cluas.

*Rob. Derham S. Th. Profess.  
Coll. Pet. Soc.*

B

Ad

**Ad Regem CAROLUM Serenissimum  
de recuperata valetudine gratulatorium.**

**R**Ex, Decus, atque idem regni Tutela Britanni,  
Carole, quo salvo cætera salva manent,  
Ex cuius nostrum dependet imagine fatum,  
Quo læto lætum credimus esse Deum,  
Ergóne te in columem certus jam nunciat author,  
Et fistit dubio pendula corda metu:  
Quod cupidè volumus, quām tardè credimus! Hærēt  
Usquē animis morbi tristis imago tui.  
Tu lætare dehinc, si vis lætemur; & ex Te  
Nostra salus quando pendeat, Ipse vale.

*Tho. Goad, Doctor Juris Civilis,  
è Colleg. Regali.*

Soli Soteri, Deo Optimo Maximo, de Rege  
**CAROLO** Serenissimo conservato,  
semperque servando, Soteria.

**P**Æoniis revocatum herbis, sed amore Diane  
Clariūs Hippolytum, tanta est concordia, casto.  
Tantus amor thalamo, primūm *Regina* volentes  
Ut tibi gratamur, pia Borbonis! Accipe plausus,  
Accipe supremo certantia gaudia cœlo.  
Tu quoque cultorum, genus immortale, tuorum,  
Aurea, nec priscis soboles renuenda Britannis,

Tu.

*In Exambemata Regia.*

II

Tu ciliis noscende nigris, tu tota venustas,  
Et puer & Nymphe, οὐ' ἀδελφεώ, έυσοα τέκνα.  
Quid vobis, ah quid nobis, sed quid quoque regno,  
Quid fieret seclis? ita fas mihi quærere. Nunquid  
Sydera fortè suum te raptò, *Carole*, nunquid  
Mundus obiret iter? Video conversa meare  
Tempora, non solitis decurrere flexibus Annum,  
Non procul esse Chaos. Sed cætera condere præstat  
Quàm vulgare palám. Sunt & sua præmia sæpe  
Elingui, totúmque intus Musisque canenti,  
Tollentique manus, arásque obnixa tenenti.

*Theocritus.*

*Humfredus Bing, Doct. Med.  
Soc. Coll. Regal.*

---

**A** Grota ægroto nuper fuit Anglia Rege,  
Anglia nunc Carolo Rege valente valet,  
Jure November ei natalis, jure December;  
Nam dedit hic Regem, reddidit ille novum.  
Carole, vive diu felix: nam sufficit, anno  
Uno sceptrigeros occubuisse duos.

*Edward Mountagu, fil. natu max.  
Baronis Mountagu de Boughton.  
Coll. Sid. Suss.*

B 2

Ad

*Lætitia Anglorum super REGIS  
recuperata valetudine.*

*Germania.* ET gaudent levibus modis canentes  
Angli, cùm miserè gravi dolore  
Sit Germania pressa: cùm bonus Rex  
Hinc Suecus rapiatur, hinc Bohemus:  
*Anglia.* In te (credo) habuere quod dolerent;  
In nostro quoque Rege quod timerent:  
Ast indulta salus levat dolorem;  
*Gustavum* cecidisse, vix ferendum,  
Ni vivat Carolus, diuque vivat.

Henricus Noel, Vicecomitis de Campden  
filius natu minor. Trin. Coll.

**P**HÆBE pater vatuum, medicinæ gloria PHÆBE,  
Quem colit autorem Carmen, & ipsa Salus:  
O mihi si laurum tua Daphne cederet, herbis  
Miserem validis, quo mea ferta tuis!  
Accipe vota, tibi sumentque altaria, morbum  
Quod doceas, Caro sospite, posse mori.

Coll. Sid. Suff.

**M**Arte perit Suecus? Fredericus morte peremptus?  
Figmentum populo prorsus utrumq; sonat:  
Quippe omnes Reges Carolo glomerantur in uno,  
Tres uno in Carolo convaluere simul.

*Guiliel. Mountagu filius natu  
secundus Eduardi Baronis  
Mountagu de Boughton.  
Coll. Sid. Suss.*

---

**SOTERIA PRO SERENISS.**  
*Rege CAROLO restituto.*

**H**umanos casus, mortalia Fata revolvens,  
Quam metuo, nè forte aliqua inclemensia morbi  
Te eripiat (Rex Sancte) mihi! Quin Numine Summo  
Despice munitus, quicquid Dea Februa possit,  
Morborumve ferox possit genus omne nocentum.  
Quem non Oceani poterant submergere fluctus,  
Nec de Bucephalo repetiti vincere lapsus,  
Sterneret ut letho hunc vilis violentia morbi?  
Credula vix varii credet mens læva popelli.  
Pustula ter pectus Regale invasit Elise;  
Sed tantum pectus Regale invasit Elise:  
Sic Tua, sic tantum Regalia pectora tangat.  
Ergo age Majestas Cœlo charissima, in annos  
Nestoreos reviresce, Tuosq; invise Britannos..

*Cuth. Pearson Coll. Reg. Vicepræp.*

B. 3

Im

In Augustiss. Potentiss. Sereniss. Monarcham  
**C A R O L U M**  
*Regem nostrum variis novissimè laborantem.*

ÆNigma hoc Medici explicate. Morbi  
 Commutant species : varæ malignas  
 In strumas abeunt. Malumque ( Cœli  
 Crudeles!) popularium laceffit  
 Illustrem, patriæ patrem (quod omne  
 Humanum superat) Britanniarum  
 Invictum Carolum. Nec astra iniqua  
 Hinc dicam: Fuit error iste morbi,  
 Qui mentem aspiciens superbiâ omni  
 Sceptrorum vacuam, minisq; frontem,  
 (Quam sæpe impositæ solent coronæ  
 Corrugare) Deum hunc, putavit unum  
 Ex nobis: penetravit indè venas;  
 Quas statim venerabili calore,  
 Majestatis & halitu verendæ  
 Expertus tumidas, fugam capeffit  
 Perculsus novitate. Dii salutem  
 Nostram hinc restituere sanitati;  
 Hinc sanum sibi se, suisque numen,  
 Anglis præsidium, hostibus timorem.  
 Hinc Musas Academiarum alumni  
 Funderunt Carolo, preces Tonanti;  
 c semper valeat, diuq, vivat.

J. Alsop. Coll. Chr.

Vulti-

*In Exanthemata Regia.*

15

V Ultibus in pueri forsan, Regina, maritum  
Quærebas, nimio victa timore, tuum.  
Illius os ori, labris & labra movebas:  
Lumina luminibus juncta fuere tuis.  
Ore Pater toto, labris errabat & illis;  
Et speculum magni, pupule, Regis eras.  
Deerat adhuc Conjux: ea non lux indè refusit  
Quæ poterat totum ferre, Maria, virum.  
Laetitia simplicitas venturi præscia risit,  
Quale sed è nebula spargit Apollo jubar.  
Perge Patri, Matri promittere perge salutem  
Parvule. Tu madidas fiste rigare genas.  
Diva, redit Conjux; nos vota calentibus aris:  
Solvimus, est ingens à quibus orta salus.

*A. Harward, Theol. Bac. Colleg. Regal. Soc.*

---

*In Morbum & Salutem Regis Serenissimi.*

C A R O L E, Te salvum canimus pia turba Tuorum,  
Musaque post medicum gestit habere locum.  
*Anglorum Regi* quondam *Schola tota Salerni*  
Scripsit, & in morbos carmina multa dedit:  
Quàm decet ut plures tua Cantabrigia versus  
Funderet in morbum, Carole Magne, tuum !  
Scilicet intumuit (Proh, quanta audacia morbi !)  
Rupit & Augustam pustula multa cutem.  
I procul hinc audax, aliam tibi quærito prædam;  
I nutrimento morbe superbe tuo..

*Joh. Booth, C.C.C.*

CARO

**C**AROLUS ex morbo factus vicinus Olympo,  
Cantandi Superis maxima causa fuit.  
Difflato morbo Divini Numinis aurâ,  
Mortales canimus, *Carole Vive diu.*  
Invideant Superi: Superis quia credo fuisset  
Cantandi major gloria, Causa minor:  
Nempe salus Superis constat sine Rege Britanno,  
At sine Te nobis, Carole, nulla salus.

*Idem.*

**E**xcusant suam tarditatem *Canta-*  
*brigenses Musæ.*

**I**Ngenî vestri pietate Musæ,  
Caroli morbus pretiosus esse  
Coepit: Endoctum creat unaquæque  
Pustula Vatem.

. Si fuit forsan generosa fronte  
Vel genâ Regis rutilans Cicatrix,  
Hæc prior Vobis celebranda venit,  
Oxonienfes.

Sufficit Nobis pede vel sub imo  
Nævulum exticti reperire morbi,  
Quem piis votis humilique Musâ  
Deveneremur.

*Idem.**Quod*

Quòd tales luctus tantòsque atrata dolores  
Testata est lacrymis Regia tota suis,  
Non tantum ille facit, Duce quo Germania jam se  
Credidit Austriacum dedidicisse jugum; (non  
Non Rheni Dominus: (quanquam hæc tam tristia quæm  
Fata movent, ipso ritè dolenda sono:)  
Sed Carolum regnique caput columenq; Britanni  
Toto diffusus corpore morbus habet.  
Et quod Parca duos inopinâ morte tulisset,  
Tertia suspecta est imminuisse lues.  
Quantum hinc terroris! Trepidatum est undique: junctis  
Divinam precibus sollicitamus opem.  
Reddit eum Omnipotens nobis: properate triumphos;  
Ferre moras non vult officiosus amor.  
In sacras deposta manus nam sceptrâ resumpsit  
Deliciæ imperii Carolus Angliaci:  
Solatûsque suo viduatam Conjuge Elisam,  
Amplexus ambit, Dia Maria, tuos.

*B. Barlow, Coll. Regal. Socius.*

---

*Ad Serenissimam Reginam*  
**M A R I A M**  
*De incolumentate sua gratulatio.*

Cum Carolus thalami socius decumberet æger,  
Credo, Maria, tuum tunc doluisse caput.

C

Pustu-

Pustula nulla tuæ potuit dare vulnera formæ:

Non opus: Ipse dolor vulnera quanta dabit!

Ipse dolor, morbus: sic æger uterque, & eodem

Numine cœlesti sanus uterque fuit.

*Ro. Ashton Aul. Pemb. Bacc.*

### *AD REGEM SERENISSIMUM*

*morbo nuper tentatum.*

**T**E Rege nostro, Summe Regum Carole,

Beata nimium Gens sumus:

Nec sceptra regni visa sunt Britannici

Gesta mortali manu.

Aliquem Deorum in ora versum Caroli

Rexisse terras diximus.

At cum jaceres membra nuper languidus,

Torumque morbo degravans:

Mortalitatem (proh!) miselli sensimus,

Nimisque certò proditam.

Et hanc in ægro maximè tunc slevimus,

Hanc usquè & usquè flebimus.

Nam morbus ipse leniter desæviiit,

Ut gnarus in quem ferveret:

Sed fata quantis cæterorum Principum

Peracta constant luctibus,

Tam triste nobis contigit Britannicis.

Mori potesse Carolum.

*Georgius Goad. Coll. Regal. Soc.*

*Regem*

**R**egem Patronum literatorum unicum,  
In cuius animâ spiritum ducunt suum  
Musæque Musarumque cultores simul,  
Audivimus dudum — Nefas cætera loqui.  
Horruimus, atque inauspicatum nuncium  
Abominati, tardiūs dedimus fidem.  
Sed interim spissæ petunt cœlum preces,  
Ut falsus ille fiat aut brevis metus.  
Nec aure surdâ vota Numen excipit.  
Statim advolant qui nuncient, *REX revaluit.*  
Verùm nec illis ausus est quisquam citò  
Credere, fidem nempe prohibente gaudio.  
Sic nostra fert natura: qui quæ nolumus,  
Quæve volumus summè, facile non credimus.  
Hinc tardior fit nostra gratulatio.  
Non sera, sed matura sunt hæc gaudia.

*Rich. Sterne, C. C. C.*

---

**Ad Augustissimum Regem CAROLUM**  
*de recuperata & continuanda Vale-  
tudine Votum.*

**C**ARLE tuam nobis cùm ferret fama salutem,  
Quam decuit nostras exagitare preces:  
Reddi visus eras, nitidum ceu nube remotâ  
Phœbus purpureo fundit ab axe diem.  
Ipsa lues præmissa juvat, fruimurque dolore:  
Confirmant vigilem tanta pericla Deum.

C 2

Nec

Nec tamen hic fistit pietas immensa tuorum,  
 Unius voti jam rea: plura petit;  
 Temporáque anticipat, desideriumq; propagat;  
 Hanc tangit quæque est, quæque futura salus.  
 Pro Te quisq; rogit supplex, Tibi pectora sudant  
 Sollicita, & nobis cura secunda sumus.  
 Nemo suam (Regis tanta est reverentia nostri)  
 Sed Domini vitam Carolianus amat.

*Hen. Molle, Coll. Regal. Socius.*

ΕΥΧΑΡΙΣΤΙΚΟΝ ΕΙΣ ΤΗΝ ΤΟΥ

ΚΑΡΟΛΟΥ

ὑγίειαν ἀναληφτεῖσα.

**Ε**κβαλει εἰς Κάρολον βέλον ἀρμέοιο βιοῖο  
 φοῖβον. ὁδυρόμηνα μάκρουν αἱ χάριτες  
 τίπε, φάσσαι, βλάπτεις ἱερὸν λέοντα σοῖσι βέλεσιν  
 Ω ἄνα; Εἰς γελῶν θήκετο κῆλα θεός  
 Αὐθροσίν δὲ χέλιων χεροῖν λάβε, καὶ τάλ' ἔιπε,  
 ΠΑΙΕΙΝ, καὶ πάνευτος γένος μισθάμαν.

*Hen. More, Colleg. Christ.*

*In Exanthemata Regia.*

21

*Soterion Regi Serenissimo Carolo sacrum.*

**I**o, numina sunt ( nec otiosi  
Cœlos dii facili sopore volvunt )  
Et reges proprius vident deorum  
Filios, Carolum suum tuentur,  
Columnam Carolum Britanniarum.  
Non illum furor aut acuta morbi  
Vis rapit. Scopulos ut unda frustra  
Pulsat: sic cecidit maligna quicquid  
Molitur metuenda clade Parca.  
Io, numina sunt, nec otiosa.

*Jacob. Knowles, Regal.*

---

*Ad Serenissimum Regem Carolum.*

**S**i tibi, Rex, serò Musæ dixere salutem;  
Serò fama etiam decubuisse tulit.  
Scilicet illa metu obstupuit ( temeraria quondam, &  
Nescia frænari ) facta molesta sibi,  
Conscia votorum quæ toto pectore Musæ  
Concipiunt, nostræ & quam Tua juncta salus,  
Mœstaque, quam nigris volitaret conscia pennis,  
Vix ausa est tandem tam malè grata loqui.  
Quod nollet fieri, differt pia dicere factum.  
Pœnæ, est pro magno munere, parva mora.  
Diluit ingratæ sic vocis provida culpam :  
Quod valuisse priùs, quam doluisse refert.

*Sam. Horn, Coll. S. Petri Soc.*

C 3

In

*In faustissimam Serenissimi Regis*

**CAROLI**

*salutem à morbillis recuperatam.*

**N**unc morbi meminisse tui juvat: Iste dolorem  
Lætitiāmque dedit, vulnus opēmque tulit.  
Morbi signa tui periere: sed undique nostra  
Ora voluptatis plurima signa ferunt.  
Iste tuus morbus nobis hæc otia fecit:  
Si dedit hæc morbus, quæ dabit ergò salus?

*J. Cornelius, A. P. Soc.*

**P**ustula quām celeri cursu venit, atque recedit!  
Languentes morbi tardius ire solent.  
At nimis hoc, Venisse, fuit, mala pustula: Regem  
Augustum leviter vel tetigisse, grave est.  
En, quæ dicta fuit modò *pustula*, nomine turpi  
Mutato, *morbus regius* esse cupit.  
Esto: sed hic morbus, regi medicabilis uni,  
Ad Carolum *agrotum* non venit, at *medicum*.  
Tales pustulæ erant regis, quibus ipse medetur  
Rex facer, & *medici* non petit *eger* opem.  
Haud mora, prisca salus Carolo redit: haud mora, post-  
Lætitiae indultum, nos pia vota damus. (quam

*Idem.*

*Nuper*

**N**uper purpureâ cutis tumebat  
Regalis maculâ, repullulânsque  
Diris pustula torruit favillis  
Dilectum caput: hinc fluebat imber,  
Quo recens populus rigavit ora:  
Qui, nè Rex proprio cremetur igne,  
Largo flumine lacrymas hiulcis  
Fudit ex oculis: nec ille vanus  
Est visus superis labor Deorum.  
Namque Rex veluti renatus illis  
Flammis exiluit, nitórque vultus  
Jam vincit Venerem Cupidinémque.  
Sic scandit Pharius volucris ignes,  
Ut vitam renovet; renascitûrque  
Mille post hyemes; refulget atque  
Auri lamina purius camino  
Explorante fidem. Serenus esto  
Jam vultus populi, nec ingemiscat  
Immenso amplius Albion dolore:  
Revixit Carolus, reviximusque  
Nostræ cum Carolo salutis Astro.

*Hen. Vintener. Coll. Regal.*

---

**N**uper languentes ægrotavere Camœnæ:  
Præ morbo mutæ conticuere suo.  
Jam recinunt, rident passim, faliuntque jocosæ,  
Queis iterum vox est reddita, vita, salus.  
Carole, nescimus, te decumbente, valere:  
Nobis summa salus undique, si valeas.

*Joh. Green, Generos. C.D.L.*

*Mor.*

**M**Orbus edax hominum Regem quoq; tentat: at illum  
Reddidit incolumem gratia summa Dei.  
Sis (Rex ô) similis renovati pelle colubri,  
Aut (Aquila ut) rostro surge novante novus.  
Vivat Rex Carolus, vivat Regina Maria,  
Et Carolus Princeps, & Marietta Soror:  
Vivat, & in Patriam rédeat, cum prole, Bohema;  
O charum semper nomen Elisâ bonis!  
Quàm bene cum summa jam majestate manebunt  
Consortis pius hic, ille sororis amor!  
Dicite Io Pæan, Pæan iterate Camœnæ:  
Redditur hinc nobis omnibus una salus.

*Guil. de Insula,  
sive L'isle, Regal.*

**N**Il erat, ex animo similes si metior artus,  
Unde foret minimo crimine læsa salus:  
Intravit tantum; nil se quo pasceret illuc  
Morbus ut aspexit, rettulit indè pedem.  
Purior excocto repetitis ignibus auro  
Surgis, & ut saturæ veris, honore rosæ.  
Mens sine labi tibi, corpus sine labi: Deorum  
Illa sed effigies nobilis, illa domus:  
Illa domus tumidæ vincat Capitolia Romæ;  
Illa sit æterni semper imago Dei.

Joh. Sloper, Coll. Regal. Socim.

## Salve

**S**Alve sancta Salus, & amicæ vatibus herbæ:  
Ipsa pias, grati queis carminis autor Apollo,  
Ipse valere jubet, jubet & cantare forores;  
Et doctos latices, totumque Helicona lacescit.  
Et Tu, commeritas solvunt quo fospite grates,  
Quæ prius (haud alio perculsæ pectora morbo )  
Languebant moestæ, Domino languente, puellæ,  
Carole, (difficiles quamvis sibi credere tantam  
Audent lætitiam, & sero molimine, mersas  
Attonito tardè revocant de pectora voces )  
Innocuos plausus, & Tu pia vota tuorum  
Accipe, deque brevi *longum Salvere* periculo.  
Ipsa pias visa est populi timuisse querelas  
Parca, nec, æternis quamvis exercita diris,  
Par erat invidiæ, populi commune sepulchrum,  
Cumq; suo totam descendere Principe gentem  
Portitor, & validam sensit subsidere cymbam.  
Ergò feram coepti mox pœnitet acris, & ipsam  
Divini tangit Capitis reverentia Parcam:  
Crudelem quamvis pudet, ( ah!) te, Carole, dempto,  
Tollere solem ipsum, tenebrásque inducere terris.  
Vivat, & æternum folio dominetur in alto  
Justitia, & longos sceptrum moderetur in annos;  
Mortales ut pœnitentia contempnere cœtus  
Astræam, superösque velit mutare Britannis:  
Vivat, & immenso Pietas contermina cœlo  
Dilectum superis populum commendet, & aris:  
Vivat casta Fides, & Tu Prudentia, moles  
Quæ regis immensas, atq; impete pectora pulsas  
Ingenuo, seris usum nec quæris ab annis.  
Vive, & Nestorecos annos, ô Carole, vince.

Ad mores populūm q; tuos compone Britannum.  
 Interea parvus ludat Regalibus aulis  
 Carolus, & teneros superans virtutibus annos,  
 Crescat in exemplum, soboles immensa, paterni  
 Pectoris, ut vultūs; virtutum & nominis hæres  
 Discat ab ingenti Sceptrum tractare parente.  
 Carole, tum plenus, nunc ut virtutibus, annis,  
 Exue mortales artus, Sceptrūmque supernum  
 Aggredere, hāncq; tuam muta meliore Coronam.  
 Dii, quibus interea regni spes una Britanni  
 Nititur, Alma Salus, & carminis Autor Apollo,  
 Ad thalami vigilate fores Regalis, & omnem  
 Deposito memores ingenti pellite morbum.  
 Sic tibi, Diva Salus; & sic tibi, Cantor Apollo,  
 Plurima fumabunt nostris altaria donis.

*Guilielmus Williams, è Collegio  
 Trinitatis, Th. Williams Baro-  
 netti filius natu. maximus.*

**Ad Serenissimum Regem CAROLUM**  
*de recuperata valetudine.*

**E**xul turribus audias  
 Infausto Angliacis, Melpomene, Iyram  
 Semper pollice quæ moves:  
 Et solus tetrici discute nubila

Horro-

Horroris, *Jubar aureum;*  
Et solus tenebras tristitiae fuga,  
*Anglorum Jubar aureum.*  
Sic summo Tua Te sentiet *Anglia*  
Dilectum penitus Jovi:  
Sic se læta suo sentiet *Anglia*  
Dilectam penitus Jovi.  
Dilectam Carolo terra Britannica  
Se sentiet hinc suo:  
Dilectum Carolus séq, Britannicæ  
Terræ sentiet hinc suæ.  
Sic nil nostra mali sentiet *Anglia*.  
Ilex tonsa bipennibus  
Ut vires teneras mox repetit suas;  
Mollis gaudet ut hinnulus,  
Agnellusve tener, sedula quém manus  
Ex ore eripuit lupi,  
Ursive, aut rabidae Tigridis unguibus:  
Quæ penè occidit *Anglia*,  
Vires lætitiae sic repetit suas;  
Gaudet, sedula quòd manus  
Custodis Caroli jam Carolum ferâ  
Morbi fauce, quòd *Angliam*  
Ex ore eripuit, quem timuit, lupi:  
Gaudet, summâque gaudio  
Laxat fræna; suique, & Caroli Deum  
Custodem precibus petit,  
Ut nunquam Clarius nube Deus nigrâ  
Rursus deliteat suis;  
Ut nunquam Carolus deliteat suis.

*Rob. Clerk, Regal.*

*SOTERIA AD REGEM.*

Ecce novus nostras venit natalis ad aures,  
 Carole Magne, tuus: nec enim quis computet annos  
 Transmissos. Nasci, populo commune; renasci  
 Taliter, inque novos semper revirescere soles,  
 Non nisi Regis erat, qui plurima cura Deorum est,  
 Et quem perpetuis sustentat Jupiter astris.  
 Quis tibi tunc animus, morbo circundatus isto  
 Audisti Regum cum funera dira duorum?  
 Funera non terrae motu, non illa cometâ  
 Præmonstranda satis, rapidi licet ætheris omnes  
 Unum confertim igniculi glomerentur in astrum.  
 O quam terrarum tunc Mars (jam, credo, Deorum)  
 Spectandus rutilus cecidit Gustavus in armis!  
 O quam (syderibus quamvis prius ortus inquis)  
 Magnus sydereos fugit Fredericus in orbes!  
 Cum tales animas ad sedes ire beatas  
 Vidisti, poteras contemnere, Carole, lucem,  
 Et mortem sperare lubens; ut scilicet illis  
 Iesus Epistathmis, qui lata per atria coeli  
 Exquirant, quæ mox te sint habitura Deorum  
 Concilia; an superi meliori Ixionis orbe,  
 Aut Ariadnæ cingantur vestra corona  
 Tempora, seu malis habitare ubi lactea coeli  
 Semita nocturnis fulget præstantior astris.  
 Jupiter at nondum statuebat Principe tanto  
 Imperium spoliare tuum, sed candida fatis  
 Et meliora tuae tradebat stamina vitæ.  
 Ut, qui jam morbo langueres, clarior indè  
 Hunc populum regeres, æternaque sceptra teneres.

Haud:

Haud secus in liquidas delapsus Tethyos ulnas,  
Obnubit nostrum densa caligine coelum,  
Protinus Eoum Phœbus revolutus in ortum  
Illustrat patulum radiis melioribus orbem.

*Jo. Pearson, Coll. Regal.*

*Ad Britanniam.*

**L**Ugeat amissum reparanda Bohemia Regem;  
Plangat felicem Suecia moesta Ducem:  
Tu verò exulta salvo, Brittannia, Rege;  
Æterna ex illo gaudia fonte fluant.  
Dum tamen exultas, nec quassa Bohemia Regem,  
Nec plangat nimium Suecia moesta Ducem.  
Principe namque tuo, felix Brittannia, salvo,  
Rege nec illa caret, nec caret illa Duce,

*Idem.*

*Carmen gratulatorium, convalescentiae Regis  
nostrī invictissimi sacrum.*

**O**Insolentes pustulæ,  
Morbilli iniqui Carolum  
Ausi potenter figere  
Tumore superbissimo!  
Sed quidpiam illi fastui  
Subest notâ dignissimum;

D. 3

Omnes.

*Anthologia Cantabrigiensis.*

Omnis in uno Carolo  
Conduntur Angliae incolæ :  
Omnis in eo vivimus ;  
Perimus, eo mortuo.  
Ut enecarentur viri  
Tot integri, næ opus fuit  
Aculeorum examine ;  
Opusque morbo plurimo,  
Varisque perversis, malis.  
At ( gratias nostro Deo )  
Omnis in eo vivimus,  
Valemus omnes integri.  
Florem virum ~~Exaudiens~~  
Isthæc nequibant perdere :  
Corollam Hygeiæ floream  
Proinde Musæ necsite,  
Pro pustulisque singulis  
Libate victimam Deæ  
Salutis, amandæ, bonæ.  
Quæ nubem, adorsam pellere  
Serenitatem Regiam  
Decusque nostrum, dispulit,  
Nobisque nos jam reddidit,  
Et Angliam totam sibi.

*Rich. Bulkeley, in Art. Mag.*

*Coll. D. J. Soc.*

*Lin-*

*In Exanthemata Regia.*

31

**L**ingua, tuum officium est CAPITIS proferte dolorem,  
Auri quem retulit nuncia fama meæ :  
Sin dolor impedit vocem, succumbe dolori;  
At discant oculi flendo rigare genas.  
Flendo vocent Phœbum, dixi. Sed Apollinis artem  
Prævertit facilis dextra secunda Dei.

*Gr. Sheaf, Coll. Regal. Socius.*

---

**A**udaces papulæque pustulæque,  
O sævæ nimis, ô nimis superbæ!  
Viles quis prohibet colore buccas  
Mœsto pingere, pauperumque frontes.  
Tentare exiguae? Sed ( oh ! ) dynastas  
Claros mittite, principumque vultus.  
Posthac vos scio plurimùm futuras.  
Passim vel solito magis tumentes,  
Regalem faciem quòd occupâstis.  
Lascivire greges licet per omnes,  
Haud rursus tamen esse proditores..  
O sævæ nimis, ô nimis superbæ,  
Audaces papulæque pustulæque!

*Sam. Whiteway, Aul. Cath.*

---

**U**t ratis nutat, mare quam flagellat  
Montis undosi trepidante pulsū,  
Et deos Eurus quatit inquietā  
Puppe sedentes;

*Castoras.*

*Anthologia Cantabrigiensis*

Castoras nautæ dubiis ocellis  
 Et manu quærunt timidâ faventes,  
 Pallet exanguis stupet & carinam  
 Turba sepulchrum:

Sic timor mentes subitus tuorū  
 Cepit; & regem, patriæ parentem,  
 Iasulam & totam, malus obsidebat  
 Jupiter idem.

Non grāves nobis tabulæ fororum,  
 Non poli leges rigidæ fuerunt:  
 Morbus & magni brevis est repertus  
 Causa triumphi.

Vince sic hostes tumidos, & iras  
 Fortis adversas; canet & fugaces  
 Ante te turmas pia quæ salute  
 Musa superbit.

*Thom. Gearing, Regal.*

Περὶ τῆς βασιλέως τῶν ὑγίειαν ἀναγνωστικόν.

**E**λαβε τὸν βασιλῆα νόσον· τότε ἀλγος ἐφαγε.  
 Δηρὸν δὲ κρατέσθι ἵχυε· τότο χαρεῖ.  
 Οὐδὲ νόσῳ ἐνόχος, Θυτὸν βασιλῆα νοεῖτε.  
 Οὐδὲ νόσον ταχέως ἐπέσπει, Ήμέτεον.

*"Ιλερμος Δαιος ἐκ τῆς βασιλέως.*

*In Exanthemata Regia.*

33

*In faciem Augustiss. Regis à morbillis integrum.*

**M**USA redi; vocat alma parens Academia: Noster  
En redit, ore suo noster Apollo redit.  
Vultus adhuc suus, & vultu sua purpura tantum  
Vivit, & admixtas pergit amare nives.  
Tune illas violare genas: tune illa profanis,  
Morbe ferox, tentas ire per ora notis?  
Tu Phœbi faciem tentas, vanissime: Nostra  
Nec Phœbe maculas novit habere suas.  
Ipsa sui vindicta facies morbum indignatur;  
Ipsa sedet radiis ô bene tuta suis:  
Quippe illuc deus est, cœlumque & sanctius astrum;  
Quippe sub his totus ridet Apollo genis.  
Quod facie Rex tutus erat, quod cætera tactus:  
Hinc hominem Rex est fassus, & indè deum.

*Crashaw, Pembr.*

*Soteria pro Rege Carolo.*

**Q**UALIS veliferi dubius Palinurus aratri,  
Verbere quem salso Jovis importuna secundi  
Ira flagellavit, sacro rorantia figit  
Vestimenta tholo, tibi rex Neptune trophyum:  
Talis ego, umbriferis nuper propè victima Divis,  
Hæc tibi, quæ potui, tantæ monumenta salutis,  
Phœbe potens, animæque chelyn, protensaque vitæ  
Fila fero: nec enim tanto sine numine salvus

E

Has

Has tibi votivas potuisse tendere chordas.

Nam cùm dilectas Caroli est populata medullas  
 Insperata lues, non expectata Britannos  
 Pustula Lernæo crescens pollentiùs angue  
 Strinxit, & insano mea viscera torruit igne.  
*Nec mirum si nos collato pectore mixtos*  
*Lurida funesti junxit concordia morbi:*  
 Invalidos etenim passim famulantur in usus  
 Membra, nec assuetam possunt sperare salutem,  
 Dum caput ægrotâ morborum nube gravatur.  
 Stat nostrum cum Rege melos; nec musica cœlis  
 Ulla, nisi ætherios placidè regat Angelus orbes.

Ergò, cùm sœvi squalentia germina morbi  
 Depositus Carolus, ( senio ceu lubricus anguis  
 Exuitur ) meliorque alios revirescit in annos,  
 Parcite vel genitus, vel singultantia verba  
 Suspirare piis lacrymarum mixta procellis:  
 Quin potius tecum lætis clamoribus Io  
 Ingeminate, viri: revocârunt acta sorores  
 Stamina, ut hæc nobis nova sint primordia vitæ.

### *Ad Britanniam.*

**A**nnulus es mundi, speciosa Britannia, sedem  
 Inque palâ Carolus gemmeus hospes habet.  
 Cœperat hæc nuper morbo livescere gemma,  
 Atraciâ ut Solis subrubet arte color:  
 At ( quasi Dalmaticum flammâ explorante metallum )  
 Emicat in puro purior orbe nitor.  
 Collaudet Gallus Siculæ jam grana sororis,  
 Gemma tuam decoret cùm pretiosa palam.

*S. Brigges, è Coll. Regal.*

*Insula.*

*In Exanthemata Regia.*

35

**I**nsla siqua datur quæ fortunata meretur  
Dici; vel titulo jure tumescit eo:  
Tu dilecta Deo vocitaberis, Albion, illa;  
Cui Regem toties reddidit atque dedit.  
Nam quod ab Hispanis Numen modò reddidit oris,  
Nunc dedit è morbo, Carole, te reducem:  
Nec tibi, sive tuis, reparatur, Carole, tantum;  
Sed patriæ, & nobis omnibus una salus.  
Pergite vos Superi, quem restituistis, amare;  
Et facite ut longum vivat, id est, valeat.

*Guil. Norwich, Coll. S. Pet.*

Qui prius abdiderat sacros caligine vultus,  
Admisso Phœbus gratior exit equo.  
Nec quod deficeret, spissis pro tempore lumen  
Nubibus obductum est, Terra Britanna, tuum:  
Nec, nisi celato paulisper lumine, terris  
Quo possit curam prodere Numen habet.  
Hinc cessit Princeps, hinc exerit ora, suisque  
Vel solito vultu vel meliore nitet.  
O quam damna juvant! quantiq; pericula! Numen  
Non poterat, semper tuta, probare, salus.

*M. Day, Regal.*

**F**esta genethliacis celebrantur qualia pompis,  
Quando novam sobolem læta salutat anus;  
**E 2** **Quantis**

Quantis Roma fremens resonabat plausibus, urbem  
 Quando redux albis Cæsar adibat equis;  
 Ornetur tantis lux illa beata triumphis,  
 Quæ te restituit, Magne Monarcha, tuis:  
 Illa tuos pariter tibi, Carole, reddidit Anglos,  
 Qui penè exanimes ingemuere malo.  
 Spes etenim vitæ restaret nulla misellis,  
 Cùm tu langueres, Carole, nostra salus.  
 Quis furor audacem Pythona agitaverit istum,  
 Telis qui objecit seinet, Apollo, tuis,  
 Qui medico digitæ contactu perdere virus  
 Lethiferi morbi triste feróxque potes?  
 Scilicet ergò tuum tentavit spargere corpus  
 Tabificis maculis ambitiosa lues,  
 Morbi ut Regalis titulo decorata, Britannis  
 Eset grata magis perniciosa lues.  
 Tanta tuo, Princeps, perfusa est gratia vultu,  
 Tam mirus placido fulget in ore decor,  
 Ut, quamvis maculis frons sit conspersa, tabella  
 In terris haud sit pulchrior ulla tuis.

*R. Boreman, in art. Bacc. Coll. Trin.*

**E**st quidam in populo frequens vocatus.  
*Morbus Regius*, & valente Rēge.  
 Contrà, qui Caroli quatit salutem,  
 Noster est, *Epidemicusque morbus*  
 Dicatur, populo licet valente.  
 Nempe Principis est, & est popelli

*Salus.*

Salus mutua, sympathia dulcis.

At qui Principis obsidet salutem,  
Tantum unus: (nimis heu, nimis vel unus!)  
Verum tu interea, misella, morbos  
Sentis, Anglia, mille, mille pestes;  
Ac si è pyxide pullulasset illâ  
Pandoræ nova febrium propago.

Ægrotat Carolus? Tremor per ossa  
Anglorum gelidus cucurrit ima;  
Quassavit febris algidum popellum.

Ut demum valeat, precantur omnes  
Æstu pectoris: illa febris ardens.

Vota concipiunt, quotidièque  
Coram Numine procidunt, precésque  
Fundunt: Comitialis ille morbus.

Toto pectore Caroli salutem.  
Ardenter sitiunt, hydropicorum  
Ritu. Denique tabis instar atræ  
Depascit dolor Angliæ medullas:  
Phthisin lethiferam fuisse credas.

At Rex convaluit; fugantur omnes  
Morbi: pyxide spes remansit imâ.

J. Duport, Coll. Trin. Socius.

E ffulsit nullus Sueco moriente cometa;  
Præscia nec fati stella, Boheme, tui:  
Nimirum Carolus dum vivit, vivit uterque;  
Et Gustavus adhuc, & Fredericus adhuc.

Astra favent: neandum rutilis locus esse cometis  
In Britonum cœlo, dum valet ille, potest.

Tentavit Regem morbus, non sustulit: Unde?  
Tam sanctum vidit, credidit esse Deum.

Ægrotas? moritur: Revalescis, Carole? vivit  
Anglia. Sic fato státque cadítque tuo.

*Idem.*

*\* Arthropus,  
μὴ κλεῖσθαι  
κροῖσον.*

**H**erodotus taceat quæ dixit \* verba parentis  
Mutus in auxilium Regius antè puer.  
Regule, non opus est tua fata reposcere, propter  
Quem non ipsa ausa est esse Ruina nocens.  
Exemplo noster nobis sit Carolus unus  
Quantæ sint curæ Regia sceptræ Deo.  
Hunc peteret morbus cùm nuper perfidus, ausus  
Heu quām grande nefas! nam petuisse nimis:  
**A**t postquam agnovit quām sacrum hoc pectus, abire  
Cœpit quām celeri venerat antè pede:  
Omne suum ponit stupefactus virus, & illam,  
Quam Majestatem læserat, ipse timet.  
*Nimirum tenuit nostras Deus ipse querelas,*  
Et sibi quām charus Carolus edocuit.  
*Est ubi damna juvant; sunt ipsa pericula tanti:*  
Corpora non poterant sana probare Deum.  
Propter quem morbus mitescit, & esse Deorum  
I nunc hunc curam perfida turba nega.

*T. C. Coll. Jes.*

Musa-

**M**usarum valet autor, & patronus:  
Tardè sacrificent quid & Camœnæ  
(Lector) quæritur. At satis sit illud:  
Morbus perfidus ut malum occipit clām,  
Sic hinc se tacitè irrepertus ulli  
Ipsus surripit: éstque causa; læsæ  
Majestatis enim reus tenetur.

*Idem.**In auspiciatissimam Serenissimi Regis.***CAROLI***convalescentiam Σartinea.*

**N**ec Morbus, nec Mars, nec Mors diademata curant.  
Nec Morbum, aut Martem, aut Mortem diademata  
Martis ab Arctoo venit qui filius orbe, (curant.  
Reddidit Huic diadema: Illi, cui reddidit, ipsum  
Mors tulit: Et diadema Illi, qui reddidit, ipsum.  
Mars tulit. Et Morbus diadema beatius illis  
Tentavit: sed vix tentârat, at oxyüs ipsum  
Poenituit tentâsse, suæ puduitque repulsæ.  
Haud solitus frustra Regum Procerūmque saginam  
Tentâsse: (hinc Regum Procerūmque brevissima vita)  
At frustra Carolum: Regnum qui temperat, Ipse  
Temperat & Sibi: Nec morbum tentâsse nocebat.

Pustu-

Pustula Morbus erat; Non Morti prævius ille,  
 Prævius at vitæ Morbus Medicina futuræ:  
 Non Carolo humorum cruda indigestaque moles,  
 Materies Morborum ingens, & prævia Morti.  
 Non Marte atroci, non fuso sanguine gaudet  
 Christicolum: Pax alma Illi, Illi Pacis & Autor  
 Temperat, atque parem reddit, qui temperet orbem.  
 Marte alii læti, Bellique-potente triumphent:  
 Nos Caroli Vitâ, nos Pace-valentis ovemus.

*Cecinit gratulabundus R. G. C. C. S.*

**S**Cilicet emeritum voluit natura reverti  
 Numen, & ob pacem credidit esse senem:  
 Quam rutilæ patuere fores! laxataque Cœli  
 Machina venturo movit Atlanta Deo!  
 Sydera pendebant, & certavere vicissim  
 Quem Decus ætherium vellet habere locum.  
\* Apostrophe ad Regem. Invitat cœlum: \* Superos at parce beare,  
 Differ & optantis gaudia longa poli.

**H**eu, quanti dolor ille fuit, Rex magne! Tuorum  
 Nulla salus potuit firma probare fidem.  
 Quæ sopita prius, de Pallade flamma resurgit  
 Purior: & cumulat gaudia magna timor.  
 Displacet immodico nobis comœdia risu,  
 Hinc peragunt partes falsa pericla suas.  
 Nec cibus oblectat morsu fraudatus aceti:  
 Grata magis madidis gaudia mixta genis.

Debili-

Debilitata velut Vulcani copia guttis  
Exquis, flammâ splendidiore micat:  
Sic, interposito noctis velamine, fulges  
Purior in radiis, Phœbe corusce, tuis:  
Sic, Auguste, tibi grata est mutatio; nōxque  
Nigra facit vitæ candida fila tuæ.

*Carolus Mason, Regal.*

**Q**UOD novum repente numen carmen istud suggerit:  
Quis volubiles trochæos inscienti dicitat:  
Aut abactum à fonte Phœbi, inassuetum carmini  
Entheos redire cogit ad choros Phœbeïdum:  
Fallor: an Musas canentes undiquaque exaudio?

*Salva Pietas, Salva Patria, Salvus est Rex Carolus.*

Desino mirarier. Nec istud est Apollinis  
Numen, aut novem sororum: Major hoc agit Deus.  
Carolus morbo superstes gratias canit Deo.  
Ille cantat: Nos tacemus? Gaudiumne publicum  
Muta non resolvet ora, vel negante Apolline?  
In triumpho patriæ tacere, perduellio est.  
Quisque cantet, quisque saltet, quisque saltem succinat,

*Salva Pietas, Salva Patria, Salvus est Rex Carolus.*

Salvus est Rex Carolus? Quid illud est periculi,  
Quod fuisse, sed nec esse, rumor unà nunciat?  
Quid? periclitatam in uno Rem fuisse Publicam,  
Nec tamen pro Rege vota nuncupata publicet?  
Prima vox salutat aures civium canentium,

*Salva Pietas, Salva Patria, Salvus est Rex Carolus.*

Fama, quæ velox malorum nunciatrix crederis,  
 Unde pennis illa inusitata venit tarditas?  
 Defuturam credidisti nuncio fidem tuo,  
 Si Deo charum caput periclitari diceret?  
 An magis, sublimioris esse providentia?  
 Credimus, tanto pavore nè occupatis mentibus  
 Sera demum haud credituris afforent solatiae?  
 Gaudii vix jam capaces, at timore liberi  
 Ore læto, corde læto, hoc concinemus canticum,

*Salva Pietas, Salva Patria, Salvus est Rex Carolus.*

Jamque Regem liberatum consalutant subditi,  
 Jamque Regem liberatum consalutant literæ.  
 Quémque subditi Parentem, literæque Apollinem  
 Sentiunt, utrinque honorant subditique & literæ.  
 Vox sonat diversa, sed vox una comprecaantium est,  
 Non ut ætas ista sola, sed nepotes concinuant,

*Salva Pietas, Salva Patria, Salvus est Rex Carolus.*

*S. H. Coll. Jes.*

**N**unc Pæana Deo læto cùm diximus ore,  
 Edidimus plausus, jubila, vota, preces;  
 Nunc ubi lætitiae genioque litavimus, ecce  
 Pergimus ad metricis verba ligata modis.  
 Hactenus exiguae complérant undique mentes  
 Gaudia: sunt vacuæ carmina mentis opus.  
 Scribere vix tandem passa est immensa voluptas:  
 Parva loqui possunt gaudia, magna tacent.  
 Carole, da veniam, si nostra novissima Musa est:  
 An magis illa nova est? Quin magis ergò placet.

*R. Ashton. Ael. Pembr. Sors.*

**S**ors illa misera, & durus Epimethei status,  
(Inauspicatâ qui reclusâ pyxide  
Totum per orbem cuncta diffudit mala)  
Attingit omnes, quos parens tellus alit.  
Torquet catenâ ferreâ immidis Dolor,  
Deturbat animum vanus & præceps Furor,  
Carnifice nullum liberum Curâ caput.  
Jubila, triumphos, gaudia minuunt febres,  
Alacrisque frangunt mentis ardente impetum.  
Annos volantes turba morborum incitat,  
Suamque vitæ fæva brevitatem invidet,  
Æterna tanquam secla pertimesceret.  
Pars nulla nostri corporis morbo vacat:  
Et mille sentit oculus ægritudines.  
Et cum juventæ blanda mors pepercerit,  
Longa senectus morte perimit indies.  
Conditio vitæ nulla, quin fati parem  
Severitatem, ac tetricas leges ferat.  
**I**psosque Reges jura Parcarum premunt,  
Morbisque quatunt: regnat in Reges febris,  
Eosque cogit tremere, quos orbis tremit.  
Chari bonique non salutem Principis  
Vis ulla sceptri servat, aut ostri nitor,  
Altique fulgor gemmeus diadematis;  
Sed cura cœli, & maximi favor Dei.  
Floret salute Principis populi salus,  
Idemque morbus Regis & Regni: vigens  
Et vegeta salvo Rege stat Respublica;  
Illo jacente pallet, ac languens cadit:  
Nam corpus angit maximè Capitis Dolor.  
Cum rediit almum Regii vultus jubar,

Quod nube furvâ texerat morbus gravis,  
 Mœroris abeunt pessimæ caligines,  
 Exul profundam tristitia noctem petit,  
 Gaudiáque geminat solida post morbum salus,  
 Et sanitatem firmat, ut medici ferunt:  
 Tuámque firmet, Carole, quem nuper ferox  
 Violare morbus ausus; at vitæ tamen  
 Ut in periculum venires, noluit.  
 Inopina venit, vidit, ac fugit febris;  
 Medicina nempè, vota populi fervida,  
 Precumque thura, & lacrymarum balsama:  
 Cui soli habemus gratias, Medicus, Deus.

*E. King, Coll. Christi Socius.*

**I**ngentes animæ dignatáque nomina cœlo,  
 Quo vos cunque tenent ordine templa Deum,  
 Lacteus ætherios seu circulus aspicit annos,  
 Collatisque animis nobile lumen habet,  
 Parte poli cessítve Tonans, Gustavus & illuc  
 Bellorum fulmen, tûque Boëme micas,  
 Sydereas implete domos, nec strangulet arcto  
 Limite se densi sancta corona chori.  
 Contentus meruisse Deos, vestigia tanget  
 Proxima, dignatus Carolus ore suos.  
 Plùs satis est voluisse sequi: mutatus abundé,  
 Penè Deus, dum vos cogitat, ille fuit.  
 Occidit astrorum, reddit & fax aurea: sydus  
 Hoc cadat; æternis nox ruet atra rotis.

Nemo

*In Exanthemata Regla.*

45

Nemo polis invidit opes, censusque deorum  
Fulgentes oculo turbidiore putat.  
Justa licet, magno quae nondum debita coelo  
Quid petitis? Superi, Carole, justa petunt;  
Sed peragenda manent te digna: medetur Apollo  
Et tibi, sis populis ut medicina tuis.

*Ad Regem.*

**I**Phiclus ut stantes plantâ libavit aristas,  
Vidit & alatos post sua terga Notos:  
Sic cita sydereos tetigit, cita transiit artus  
Pestis, & in versus ocyor Isis abit;  
Ex re nata dedit, celerique simillima morbo:  
Ingenium formam sic sibi quamque capit.  
Regius à tergo morbus stetit: Ille, quod unum  
Discrepat, est vultus ausus adire tuos.  
Serior, at tutam tibi Chamias unda salutem  
Optat: ob acceptam nec minus Illa tumet.

*If. Ollivier, Regal.*

**I**Lla tuæ formæ variis via lactea stellis  
Emicat: Angligenum percutit ossa tremor.  
Tu tamen ignoscas, Indulgentissime: stella  
Nam visa est populo quæque, *Cometa*, tuo.

*R. Williams, Coll. Regal. Socius.*

ribboR

F 3

Hæc

**H**Æc quæ carmine plurimo triumphat,  
Et lætas pede libero choreas  
Jam felix domus explicat; ruinæ  
Quàm vicina suæ , nupérq; Fati  
Tantùm non tulit ultimos furores !  
Morbus dum Carolum premit, facésque  
Nostras pessima Regios ocellos  
Obfuscare lues potest, & ingens  
Dempto lumine procreare damnum :  
Sed quanto canit absoluta damno!  
Sentit Rex iterum sui popelli  
Pleno fulmine gaudium, & creatas  
Musas nomine redditæ salutis.

Erubescit inops, suóque morbus  
Penè creditur innocens dolore:  
Ac si reliquiae pudore facti  
Horrerent scelus impudenter ausum,  
Posthac quis metuet tuæ saluti,  
Clementissime Principum? Querelas  
Totius metuit, precésque regni  
Cœlum, dum prohibet feras sorores  
Filum rumpere gentis universæ.

**H**Ic quâ pullatis infaustula turba lacernis,  
Tristis & attonitam polluit umbra domum,  
Jam florent redivivæ animæ, dum, munere Cœli,  
Anglia non sentit damna carendo sua.  
Posteritate suâ fruitur Rex laudibus, &, quas  
Morte alii, sentit non moribundus opes.  
Et nè fortè dolor, quem senserat ille, Camœnas  
Pollueret tardo versibus ingenio,

Reddita

Reddit Musa sibi est, & fit te fospite, Cæsar,  
Non minùs illa tui, quām tibi, nostra salus.

*D. Wyat, Bacc. in art. Coll. Trin. alumn.*

---

**L**Anguida decubuit languente Britannia Rege:  
Sospite, sollicitos exuit illa metus.  
Pars dudum in lētos properavit grata triumphos,  
Penderet ut voto debita sacra suo:  
Pars stupet; & tanti vix dum secura pericli  
Siccat adhuc madidas anxia Granta genas.  
Difficilis, facilisque fides, testatur amorem  
Utraque; nec certum est, illa vel illa magis.  
Multūm exoptatam nobis sperare salutem.  
Nec minùs urget amor, nec minùs obstat amor.  
Parce (sit & vanus semper, Rex Magne) timori,  
Qui facit officium lentiūs ire suum.  
Senior ad sacras, sed tandem, concinit aures  
Musa, vel ob tantas officiosa moras.

*Tho. Rowe, Coll. Regal. Socius.*

---

**T**E, Rex Carole, pustulæ salutant,  
Lascivæ cupiunt manus vel ora  
Ut tangant, leviterque suavientur:  
Illud cūm minùs impetrare possint,  
Cedunt, & Carolum jubent valere.

*R. Ashton, in art. Bacc. Aul. Pembr..  
Exulet:*

**E**xulet in sylvas taxus funesta, cruentos  
Protinus ad Belgas mœsta cupressus eat.  
Te virides hederæ, te laurus Apollinis, ornent,  
Florida ferta tuas, terra Britanna, comas.  
Invida mors Caroli tenuavit licia: Quanti  
Nobis causa fuit, vel tenuasse, metūs!  
Quàm suspecta fuit tunc ars operosa medentum?  
Quàm gemuit moesto plenatimore domus! *lusa A I*  
Qui tibi tunc pallor pro conjugè, blanda Maria!  
Quàm neglecta tui cura decoris erat!  
Quàm fueras ægrè divulsa amplexibus! *Ipsí*  
Ah morbo quoties oscula anhela dabas!  
Alcyone vernos non sic Trachinia nidos  
Circuit amplectens, nec Philomela suos.  
Dextra salutiferas mollis dum miscuit herbas,  
Pro Carolo fudit prodiga lingua preces.  
Audita es Regina potens: en fila tetendit  
Invidiam metuens Parca severa tuam.  
Indue jam solitos vultus: præsentia luctus  
Æquent præteritos gaudia, spésque metus.  
In Caroli sedeas gremio pulcherrima, donec  
Sit tibi vir Nestor, túque Sibylla viro.

*Johan. Jones, Coll. Regal. Socius.*

---

**Q**Uæ nova Parcarum feritas? quo numine fretæ  
Audent in tantos mittere tela deos?  
Exundans lacrymis Rhenúsque & Pannonis ora,  
Mœsta gemunt reges occubuisse suos.

Fatorum

*In Exanthemata Regia.*

49

Fatorum effrænes miratur Suecia vires,  
Tota stupens regem posse perire sumus:  
Nec satiata tamen tantorum funere regum,  
Tentarunt nostrum fata ferire Jovem:  
Non tamen internas penetrarunt tela medullas;  
Scilicet hæc trepidâ missa fuere manu.  
Sæva licet, nostras timuerunt fata querelas,  
Invidiam populi nec potuere pati.

*H. T. C. T.*

---

**A**T quo solebant cæteri morbo premi  
Num Regius potest infans? Potest pater:  
Sed sorte non gregali (Carole) te decet  
Vel ferre morbum, vel valere denuo;  
Ut, quæ popellum pustulæ vexant graves,  
In te micarent gemmulæ, & tandem fores  
Ægrōtus, at nec ægrotus; (bonum Deum  
Agnosco) nempe id exigit populi salus,  
Æger fuisses, convalesceres protinam.

*Ad Carolum Principem.*

**D**Ebetur annis, Carole, morbus hic tuis,  
Quem fortiter ferens Pater quasi Regio  
Jussu repressit, ut nihil vel à gravi  
Morbo timeres. Si tamen te corripit,  
A Patre convalevere sic discas puer.

*Henr. Ferne, Trin. Coll. Soc.*

**G**

**Cesserunt**

**C**esserunt lacrymæ plausibus impares,  
Benignumque Salus explicuit sinum:  
Quo jam thure litemus,  
Sodales, nisi carminum?  
Dum vulnus valido in corpore morbidum  
Grassaretur adhuc: Ut, quasi Gorgone  
Admotâ, obriguit plebs,  
Et mœstus procerum chorus!  
Marmor durum, adamas, indomitus silex  
Urget Chamiadum tristia pectora:  
Excussa est lyra Phœbi  
Dextræ, pressa silentio.  
In fletus Niobe solvitur Anglia.  
**A**Quid t' Essetne aliud Cæsare mortuo  
Quam corpus sine corde,  
Vel puppis sine remige?  
Exactis lacrymis gaudia promovent,  
Et vires repetunt fortius inditas:  
Vultu Gratia læto  
Sedens pulchrior emitet.  
Exultant Britones Principe redditio;  
Amyclæa legens littora Troicus.  
Pastor, Tyndari, cum Te  
Pennatâ tulerat trabe.

*Rob. Newman, Coll. Regal. Socius.*

**E**Rgōne fastidit plebeii corporis offas:  
Appetit insolitas & Libitina dapes?

Ergōne:

*In Exanthemata Regia.*

51

Ergóne mors tardem vulgaria fercula temnens  
Sanguine Regali se satiare cupit.  
Absorpsit nuper binos; Rex tertius hæsit  
Faucibus: ( an Deus hic, semideusve fuit? )  
Gustavit Carolum, sed non deglutiit. Euge,  
Morbe, quid impalles? pustula, quidve tumes?  
I, fuge, si sapias, aliam nunc excute querum:  
Nempe putas Carolum tam citò posse mori?  
Falleris, æternosque, precor, fallaris in annos.  
I, fuge, morbe, procul: Carole, vive diu.

*J. Duport, Coll. Trin. Socius.*

---

**P**Ustula nulla fuit; Mufis animata revixit:  
( Quis tuus audito murmure, Chame, metus! )  
Vifa per æternas senium sperare papyros:  
Vifa; sed est propero carmine jussa mori.  
Auribus in sacris avis officiosa *Salutem*  
Plurima jam cecinit; sedula nostra, *Vale.*

*Guil. Fairebrother, Regal.*

---

**D**Um tibi terribilis minitatur, Carole, morbus,  
Vicerunt facilem publica vota Deum.  
Et nunc, te incolumi, saturat nos tanta voluptas,  
Quantus ob infirmum ceperat antè timor.

*Jo. Murray, Gen. Regal.*

G 2

Ad

**T**E cœlo demissa salus, Rex Magne jacentem  
Suscitat: et salvum carmina nostra canunt.  
Phœbus in utroque est: Qui dum tibi, Carole, servit,  
Et domus Admeti fordet, & ira Jovis.

*Hen. Bing, Generos. Regal.*

*Ad Oxoniam, quod nos soterius suis anteporterit.*

**N**Ec turge tamen, ô soror, priori  
Quod sis carmine gratulata Regi.  
Non libamine scilicet priori  
Tu cœlis quoque gratias dedisti.  
Nostrum gaudia ( nec novum videtur )  
Crato pondere tardiora serpunt:  
Ceu Gadum spoliis onusta navis  
Latum lentiū indè sulcat æquor.  
At nec spes solidæ prius salutis  
Nos in carmina provocare visa est:  
Seri nos fuimus, sed indè certi.

*Ga. Nash, Aul. Pembr.*

*Musarum Cantabrigiensium deprecatio.*

**I**lle minus gaudet, lentè qui gaudet? in omni  
Festino plausu res odiosa mora est:

*Ignor.*

Ignoscas nobis, ô Carole; nostra videntur  
Carmina nec gressus accelerâsse suos.  
Audaces aiunt (tantum decus emitet ore )  
A facie papulas abstinuisse tuâ.  
Nostrâque te coram multûm cunctata venire  
Musa, venit tandem, sed pudibunda venit.

*G. Boteler, Coll. S. Petri Socius.*

---

**Q**uantillo pereunt tempore pustulæ,  
Quæ sunt mors aliis, stigmata cæteris !  
Hic vitæ & decoris nulla pericula.  
Discors ergò viris stamina ferrea  
An fatum traherent, vel sit hoc indici;  
Morbilli Tibi sunt, mancipiisque mors.

*J. Neal, Aut. Pembr.*

---

*Ad Regem.*

**C**arole, si populi valuissent vota Britanni,  
Non agrotâsses. Si posthac illa valebunt,  
Vel tibi perpetuam concedent Astra salutem,  
Vel tibi primus erit morbus postrema senectus.

*Th. Dugard, in art. Bacc. Coll. Sid. Suff.*

*Anthologia Cantabrigiensis*

CAROLUS STEUARTUS.

*Anagram.*

SALVUS EST CURATOR.

**C**urator populi, Deumque cura,  
 Regum Carole summe maximorum;  
 Quem morbus nimio dolore tentat,  
 Sustentat parili favore Numen:  
 Dii mites Tibi reddidere vitam;  
 Tu nobis Deus, æmulusve Divum,  
 Lugubres reficis salute mentes.  
 Quos nuper gemitus dedere vulgus!  
 Quæ suspiria! Jam valemus omnes,  
 Dum Regem validum, superstitemque  
 Amplexamur. Iō canant Britanni,  
 Te salvo reboēnt Iō: Sed ipse  
 \* Clarus sorte tñā, diūque felix  
 Inconcussa manu tuere sceptrā.

*Anagram.*

\* CAROLUS STEUART.

*Joan. Cooke, Trin. Coll.*

**V**Ivit adhuc Carolus, vivit, morbóque superstes  
 Tractat magnificâ sceptrâ paterna manu:  
 Exere semirutas, lætantes exere Musas,  
 Æmula nec vincat te tua, Granta, soror.  
 Dum vivet Carolus, dum fons erit ille perennis,  
 Non Aganippæā, Granta, carebis aquâ.

*Guil. Murray, Gen. Regal.***Cum**

Cum populi ipsa salus Princeps decumbit, ut æquum  
Effundunt Angli vota precésque Deo: (est,  
Nemo pius sacras sese provolvit ad aras,  
Ut sibi vel sociis propria dona roget.  
Quisque lubens tacito privatas pectore curas  
Condit, avéisque suā nemo salute frui.  
Publica sola Deum & communia thura fatigant,  
Cœlestes pulsant publica sacra fores.  
Omnia conjuncto fervent altaria voto,  
Sanctorum in cunctis vox erat una chorus:  
*Carolus ut vivat*, votorum summa; Britannus  
In Carolo totum, quod petat orbis, habet.  
Vivat, & innocuos numeret sibi Nestoris annos:  
Alpiciat siccis funera nostra genis.  
Pace regat stabili, tradátque nepotibus olim:  
Felix, & serus, sceptra Britanna suis.  
Deponunt etiam citharásque hymnósque beatæ  
Sanctorum mentes, Angelicúsque chorus:  
Succurrunt miseris; valida prece Numen adorant,  
Ut rata dent precibus vota Britanna suis.  
Noluit Omnipotens terræ cœloque negare:  
Conjunctique chori quod petière dedit.  
Convaluit Princeps: cingunt altaria laudes;  
Fit Servatori victima grata Deo.  
Felices animæ ad laudes rediere suetas:  
Grates sunt, quas nos fudimus antè, preces.

*Ad librum.*

Musarum plausus, pia munera, vota, libelle,  
Lætitias Carolo, quas dedit ipse, refer.

Si

Si roget, Unde venis; quid fers; quo numine fretus

Projicis ad sacros valia dona pedes?

Nuncius advenio, Musis & Apolline natus,

Dicito; quæque jubent officiosus ago.

Nil nisi læta canens, Academica pectora pando,

Augusto semper quæ patuere suo.

Lætitiae Oceani sum guttula: Maxime Princeps,

Si me digneris sistere; flumen ero.

Parce moræ: nunquam videatur gratia tarda,

Sollicita est semper quæ placuisse tibi.

*El. Duncon, A.P.*

**C**AROLUS ægrotat: Totum dolor occupat orbem.

Conveniunt herbæ, conciliūmque vocant;

Ordine quæque sedent circùm, facit ordo coronam,

Tales nescio quæ cùm tulit herba sonos:

VIS inerat quondam metuenda potentibus herbis,

Gessimus & nulli regna secunda Deo:

Sin patimur Dominum spreto languescere victu,

Regiaque alternâ membra quiete carent;

Heu, ubi noster honos? quis Apollinis imbuet aram

Sanguine? nos miseras deseret omnis anus.

Finierat. Sequitur murmur, dictisque favetur:

Turbaque, Quin Britonum regna petamus, ait.

Turpe, gravi morbo si Jupiter ipse laboret,

Nos pede non celeri scandere tecta Jovis.

Verba placent: unâ proponitur Anglia voce,

Conferat huc vires quælibet herba suas.

*Balsama*

*In Exanthemata Regia.*

57

Balsama jam mittit Judæa virentia Regi,  
Cùm redeat, dicens, gens mea, plura dabo.  
Mittitur è Cretæ dictamnus montibus, herba  
Utilis, acquirat si modò Creta fidem.  
Quos Cilices mittunt, flavescent & Anglia nimbis:  
Tu rosa, tu similax, túque hyacinthe venis.  
Quid facitis propriis emissæ sedibus herbæ?  
Hunc voluit curæ Jupiter esse sibi.  
Ite domum vacuæ, populisque hæc dicite vestris:  
Vidimus hunc nondum, Carolus ecce valet.  
At tua, Rex, tali debetur gratia facto:  
Munera non usum tarda, sed omen habent:  
Terraque languenti supplex si porrigit herbam,  
Æquandus fano quis tibi victor erit?

**Q**uàm Parnassia sit beata rupes,  
Cujus perpetuam Deus salutem  
Attendens, geminum dedit cacumen!  
Nunc vexare caput, vel hoc, vel illud,  
Securo queat innocens dolore  
Morbus: Sed Britonum Caput flagellet  
Si vis acrior unicum, perimus.

*Cæsar Williamson, Trin. Coll.*

**J**usta, morbe ferox, *capitis* damnabere pœnâ:  
*Læsa* est *Majestas*, imperiique *Caput*.  
Læsa quidem, reparata tamen: Nil, morbe, valebas;  
Regis enim virtus *pharmacon* ipsa fuit.

*Thom. Seyliard, Coll. Stdn. Suff.*

H

Ite

58 *Anthologia Cantabrigiensis*

Te jam threni procul hinc Monodi,  
Ite jam Iessus querulæq; voces,  
Ite pullatæ laceræq; vestes:  
Cuncta triumphent.

Eia sacrati properate mystæ  
Ramulis lævem religare frontem,  
Et comas guttis balani ferire  
Malabathrïque.

Plaude Pallas Calliroës Ducissa,  
Fervidum flammâ meliore pectus  
Civium exulta, fidibus canoris  
Sydera pulsa.  
Alma Patronum Fidei valentem  
Subditis lux reddidit, alma nobis  
Clarius cœlique jubar reducit,  
Nubila pellens.

Carolus cœlestis amoris haurit  
Poculum, mactans reliquos amores,  
Quot venenatas homicida Dirce  
Dividit escas.

Principum sit gloria prima, ocellus  
Carolus: sit verbete liber omni  
Mortis, & magno gelidum Booten  
Lumine vincat.

Anglica hoc semper niteat corona:  
Floreat sanctum hoc penetrale, sanctum  
Atrium pacis, stadium & palæstræ  
Area sacræ.

*Submissæ devotionis ergo subjecit*  
J. Francius Silesius Coll. S. Pet.

*In Exanthemata Regia.*

39

*In Regia exanthemata, & quid ab illis periculum, sed divinâ ope felicissimè depulsum.*

**P**lusquam millenæ Caroli stant corpore vitæ:  
Et dolor in tantum tantulus ire parat?

*Aliud in Parcas.*

**T**Res nuper ternæ Reges petière sorores:  
Majorem tu te, Carole, quaque probas.

*Aliud.*

Unáne de Parcis Carolum sperare domandum?  
At non tres ipsæ si pariter ruerint.

*Aliud.*

Suecus ut in bello consumptus, peste Bohemus,  
Quid Carolo poscæ? poscite poscæ alium.

*Timoth. Rhodes, Sacellanus Coll. Regal.*

---

**M**iranti meritóque imaginanti,  
Regum Carole Rex supreme, mecum,  
Immissus tibi morbus unde talis,  
Morbilli potius, sed & fugati  
Quamprimum, penitusque dissipati  
Cœlesti medicū manu Deique,  
Tandem hoc sic ideo subit putare  
Factum cœlitus ánne destinatum, ut  
Te nobis, tibi charior falsus fit.

*Johan. Young, Coll. Regal. Socius.*

H a

I w

*Anthologia Cantabrigiensis*  
*In Regis Caroli præstantissimi rō a'ntiquor*  
*Iambus purus.*

M Anebat actus iste nempe *Carolum*,  
 Labore qualis *Hercules* satur gravi  
 Adisse fertur ultimante poplite  
 Et ipsa dira *Vejovis* palatia,  
 Parens *Iule* vel tuus, tuus quoque  
*Zacynthe* ductor, astubus férax caput.  
 Nec addo plura, plura cùm queam tamen;  
 FIDES & ipsa, sed tacere convenit.  
 Sit ista cuique sors tributa *cœlitum*,  
 Et est, suprema vīctor ut ferat mala,  
 Ferat, sed ille vīctor, & domet mala,  
 Domare nulla quæ potesse vis virūm.

Beate perge Carole, & genus proba  
 Per ista plura, si quis ambigat, tuum  
 Polo venire, duceréque originem  
 Supernè, nuper acribus potens fretis,  
 Potens inerme murmur & popli & maris  
 (Maris poplique consonas vices scias)  
 Nihil moratus arduūm repellere.  
 Repelle, téque rupicem insuper proba,  
 Solo salóque rupicem ex pari Deum.

Ibera tute tutus arva vifere,  
 Redire tutus, ô amate Numini,  
 Equo ruente sospes, hem periculum!  
 Deo favente sed periculi nihil,  
 Nihilque nuper ingruente *pustula*,  
 Acerbioris in doloréve *ulceris*.  
 Nec igne credo siccus, aut aqua madens,

*In Exanthemata Regia.*

61

Inedomabilisque ceu chalybs cluens,  
Ut æqua semper alea accidis tibi,  
Tuo superstes & future funcri !

*S. R. C. P. C.*

**Q**ualis ubi piceas tenebrarum dissipat umbras,  
Aut ferrugineos nebularum rumpit amictus,  
Splendidior ridet, meliori & lumine gratos  
Pingit agros, roseæ cyclops auriga diei:  
Sic cùm funesti discussit spicula lethi,  
Cùm morbi rabiem evasit, mortisque tenebras,  
Gratior insolito splendet fulgore benignus  
Musarum Phœbus, nostri & sol aureus orbis.  
Nec sic Æeto Medea recoxit aheno  
Thessalicum senium; nec sic Gangeticus ales,  
Cùm tumulum & cunas pariter flagrantia præstant  
Cinnama, longa suæ reparat dispendia vitæ:-  
Ut Britonas luctu stupidos, pavidâq; sepultos  
Mœstitiâ, vegetant redivivi gaudia Regis.  
Sed non est tacito quòd corde, Britannia, luctum  
Accendas, arcto aut suspiria pectore ducas:  
Non vix spectatam cœlestia Numinia gemmam  
Abripient: meritis non deerunt pharmaca tantis,  
Pæoniæq; artes, cùm Regum turba, potentum  
Tota cohors cedat, mundi & plaudente theatro,  
Porrigat augustis Caroli virtutibus herbam.

*Johan. Tally, Coll. Chr.*

H 3

In

*In restauratam, seu potius medto in morbo conservatam  
Sereniss. Regis CAROLI  
valetudinem.*

**V**is morbi reliquos solita insævire per artus,  
Ambitiosa Caput jam petit Imperii.  
Proditio est. Medici, grassanti occurrite morbo.  
Fit. Capitis poenæ sic luit ipsa lues.

Nec tamen, O medici, vestra est hæc gloria: Tanti  
Certa salus Regis, non nisi Regis opus.  
Morbo vos herbæisque manūsq; adhibetis inanes:  
Non herbam vestris porrigit hic manibus.

Rex morbo flagrante valet, somnūmq; cibūmq;  
Jam capit. O mirum Principis imperium!  
In medio cùm sis morbo, Rex Optime, sanus;  
Regem vel morbis Te liquet esse tuis.

Urget vis morbi, nil sentis Maxime Regum:  
Vim tamen imperii senserat ille tui.  
Quales esse decet Carolo sub Principe mores,  
Qui docet & morbos mitius ingenium!

Ergò per inumeros regnes feliciter annos:  
O cœlum serus, certus at ingredere.  
Non Tibi sed nobis damus hæc, Rex Optime, vota:  
Quippe tuā inclusa est nostra salute salus.

*Rich. Love, Praefect. Coll. C. C.*

Dece-

**D**eceptum sterili fontis imagine  
Flevit Liriope cœrula filium;  
Affulsit illius labellis  
Tanta Deæ Paphiæ venustas.  
Lassavit tumidis pectora planctibus,  
Exhausitque genas Herculeum caput,  
Hylæ sacratam post rapinam,  
Dulcis aquæ saliente rivo.

Non sic Liriope cœrula filium;  
Non sic flevit Hylan Herculeum caput:  
Ut Carolum nuper Britanni  
Pectoribus gemuere ruptis.

Tentabat Carolum tristis & invida  
Clotho quæ prohibet magna senescere,  
Et Iege fatorum tremendâ  
Tempora dat breviora summis.

Atqui nil poterat tristis & invida:  
Faustis sollicitant æthera plausibus  
Qui Carolum nuper Britanni  
Pectoribus gemuere ruptis.

Sic faustis resonent omnia plausibus,  
Salvumque ingeminent sydera Carolum:  
Et Carolo si quid nocebit,  
In gelidam redigatur urnam.

*Tho. Page, Coll. Regal. Socius.*

*Post.*

**P**Ost pugnam Actiacam, & toti data fœdera mundo,  
 Augustus, magni visurus providus oras  
 Imperii, meditatur iter: gestitque tueri  
 Et Calabros Siculosque sinus, & moenia Brendæ,  
 Vosque magis Cannæ, Latio quas sanguine quondam  
 Aufidus intinxit, propriasque exhorruit undas.  
 Tales sollicito volventem pectore curas,  
 Oppressit morbus: Tota lugubris in urbe  
 Roma sedet, ferventque suis altaria flammis,  
 Et votis populus: Tua Numina Magne fatigant  
 Phœbe; Tibi Clarium cedunt Tenedosque, tibique  
 Mille salutiferis surgunt in vallibus herbæ.  
 Phœbus adest; mittit medicum cognomine *Musam*:  
 Ille suo tentans salientem pollice venam,  
 Advertit morbum: mox, quam tot templa salutem  
 Optabant, revocat. Quorsum hæc? Te, CAROLE, fata  
 Attendunt eadem: nam Te, dum *Scotia* curæ est,  
 Dumque videre cupis magni cunabula Regis,  
 Sive Caledoniis mavis Meleager in agris  
 Spectari, & timidis terrere animalia sylvis,  
 Implicitur morbus. Sed Te servavit Apollo,  
 Et memores *Muse*: Tibi nam persolvimus ægro  
 Vota precésque simul; Revalentique addimus illud,  
 Seu magnum meditaris iter, sive ultima Regni,  
 Sive domi remanes, magna Moderator in aula,  
 Incolumem *Scotis* felicia fata reservent,  
 Perpetuōq; *Anglis* salvum CHRISTO AUSPICE REGEM.

Alexand. Livingston, S. Theol.  
 Bacc. Magd. Coll. Socius.

Summa

**S**umma salus regni, reparatam Musa salutem  
Gratatur numeris concelebratque suis:  
Phœbus uterque tuo, Rex Magne, indulget honori;  
Qui *medici* dederat, dat quoque *vatis* opem.  
Scilicet invictis cecidit Gustavus in armis;  
Credidit hinc nil non mors licuisse sibi.  
Quinetiam sacros ausa est corrumpere vultus,  
Tetraque Regali serpsit in ore lues:  
Pulsa tamen Stygias retro se mersit in undas;  
Fassa in te vires nil valuisse suas.  
Ipse neci cessit victo \* Germanicus hoste:  
Cum desint hostes, mors tibi victa jacet.

\* *Suecorum  
Rex.*

*Stephanus Phesaunt, Aul. Cath. Gen.*

*Academiarum Sympathia.*

**D**um *Caput* ægrotet, mirum est, si membra laborent?  
Indè tuis *Oculis*, Terra Britanna, labor.  
Miram sympathiam! valeat *Caput*; illa valebunt.  
It dolor: hinc *Oculis* gaudia nata tuis.

**A**νθεα Σοὶ, Βαυλεῦ, πέλει ἔξαρθίματα· οὐδός  
Τῷ Βαυλῆνος, ἐάν τις, δ' ὄνομαζομέτη.  
Τέο μὲν ἔχει· Αγγλῶν Βαυλῆνος δέξι· ιᾶται·  
Πίσις, ἐπιγεωνί χεὶρ, Σὸι ιαπεῖς ἔλει.

*R. Drake, Aul. Pembr.*

*Tarditatis Apologia.*

**U**ltima semper eris gaudendo? Dilue crimen.  
Aeternum gaudens, Ultima semper ero.

*F. C. C G C.*

I

*F.*

Ἐις τὸ δὲ κοινῆς σωτηρίας ἔτος χιλιοπέντε ἑξακοσιοπέντε τριακοσού  
διενήσθη, καὶ ταυτὸν τῷ Βασιλεῖ οὐμῷ Καρόλῳ πρὶν τάνυκατ  
ἰδίᾳσι σωτήριον, Δίσιχον Χρονογυραμματικόν.

‘Եղանձնութեա ուրիշ պահանջուն’ ‘Առէ ուժից աւթի՛,  
‘Հօն’ ան’ չկան’ Յօ մէն՝ յշալին.

*Exanimata canula arenæ restoruit & Rex.  
Fucunda atque bona est nuncia fama quidem.*

Chronogramma duplex, Disticho conclusum, in annum  
Serenissimo Regi CAROL O salutiferum,  
MDCXXXII.

BVLLæ Vt, sVbs IDVnt nata eXantheMata regIs:  
EMergVnt, et VIX VIsa repente CaDVnt.  
MDCXXXII.

Epigramma in Exanthemata Regis Anodyna.

Sanguine ab impuro nata Exanthemata dicunt.

Unde in tam puro corpore morbus erat?

Morbus erat, nec morbus erat; Rex sanus, & æger:

Æger erat populo, sanus at ille sibi.

Ægrum credebat populus, cogente dolore:

Sed dolor in Regis corpore nullus erat.

Aliud.

Morbillos habuisse, & non habuisse dolores:

Credimus inde hominem, hinc credimus esse deum.

Aliud.

Ad Regem Chirotherapeuticum, eundemque

Achirotherapeutum.

Tangis; & à tactu sanantur Chærades ægris:

Tactus es à morbo; nec tibi læsa salus.

Chærades, at falso signantur nomine, *morbis*

Regius: at verè Regius iste fuit.

Aliud.

Non tua, sed populi, sunt Exanthemata, sanguis:

Nam male pura tibi venuula nulla fuit.

Una levat venas omnes \* Regalis aperta:

\* Vena Basiliaca

Sic Tuus est *morbis*, Carole, nostra Salus.

Aliud.

Carole, te aggressi totum evomuère venenum

Morbilli: nil jam cur metuantur habent.

*Aliud. "Tēpōr tēpōr."*

**A**nnum cur aperit Janus, clauditque December?  
Annon, o cives, "Tēpōr" est ~~egōtēpōr~~;  
Romanis primus sit Janus, at ultimus Anglis:  
Id Numa Pompilius, Carolus hoc voluit.  
Omnia debemus pro salvo Rege Decembri,  
Nil Jano: Primus jure December erit.

*Alma Mater Academia Anthologiam hanc suam recens  
in lucem editam CAROLO ViCTORI de morbillis  
nuperrimè profligatis triumphanti corolla  
loco supplex D. D. D. Q.*

**I**Te, mei flores, Regis florentis ad aulam,  
Quos bidui aut tridui protulit officium.  
Non tam aversus aquas nostro se *Chamus* ab horto  
Dividit, aut fessæ munere *Chamiades*,  
Ut nequeant illæ latices haurire sequentes,  
Ut nequeat flores ille creare novos.  
Unde isti flores si quærat; Dicite, Bruma  
Tu facis ut ver sit, Carole, perpetuum.  
Sunt tibi, sunt alii, semper sint, Carole, flores:  
Quos peperit flores Alma Maria Tibi.  
Si duo præterea florum Regina Maria,  
Si pariat tales, Carole Magne, Tibi:  
Hortulus & noster pariet; nec ténque corollas  
*Chamiades* Musæ, MATER & ALMA Tibi.  
*Fasciculum* interea raptim quem porrigit, illa  
Qua rogit accipias cætera fronte soles.

*Radulphus Winterton, Medic. licentiatus,  
Coll. Regal. Socius.*

FINIS.

